



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De episcoporum ordine, vt qui posterius ordinati sunt, prioribus se non
audeant anteferre. lvi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

optamus, pro nihilo duxerint, & venire noluerint, iustaque rationem inobedientiae suae reddere detrectauerint, apostolica auctoritate interdicat eis Petrus sancti Petri & papae missus, vna cum sancta synodo, missas celebrare, quousque Romam veniant, & coram papa, & sancta Ecclesia dignam reddiderint rationem.

Conciliū vniuersale non nisi necessitate faciendū. Cap. LIII.

Placuit vt non sit vltra fatigandis fratribus vniuersalis necessitas, sed quoties exegerint causae communes, id est, si totius Africae vndeunque relate ad hanc sedem fuerint literae, congregandam esse synodum in ea prouincia, vbi opportunitas persuaferit. Causae autem quae communes non sunt, in suis prouinciis iudicentur.

Vt Episcopi posteriores se prioribus suis non praefertant. Cap. LIIII.

Episcopi vero per singulas prouincias obseruent, ne posteriores se superioribus suis praefertant, nec eis inconsultis, nisi quantum ad propriam pertinet parochiam, aliquid agant. Sed omnes de communibus eorum causis, consonam sententiam proferant, & determinent, quoniam aliter actae, nullas vires habebunt, nec ecclesiasticae reputabuntur.

Vt Episcopi sui ordinis tempus obseruent, alter alteri honorem praebentes. Cap. LV.

Item placuit, vt conseruato metropolitani Episcopi primatu, caeteri episcoporum secundum sui ordinationis tempus, alius alii sedenti deferat locum.

De Episcoporum ordine, vt qui posterius ordinati sunt, prioribus se non audeant anteferre. Cap. LVI.

Valentianus Episcopus dixit: Si permittit bonum patientiae vestrae, prosequor ea quae praeterito tempore in Ecclesia Carthaginensi gesta sunt, & subscriptionibus fratrum firmata claruerunt, etiam hoc nos seruaturos esse profiteor. Sed illud scimus, inuiolatam semper mansisse ecclesiasticam disciplinam, vt nullus fratrum prioribus suis se aliquando auderet antepone, sed officiis charitatis id semper exhibitum est prioribus, quod ab insequentibus gratanter semper acciperetur.